

Latin  
Spri 20° 2

# I. Eadmer, Life of Saint Anselm

## xix. *De relaxatione avis*

Alia vice conspexit puerum cum avicula in via ludentem. Quæ avis pedem filo innexum habens, interdum<sup>o</sup> cum laxius ire permittebatur, fuga sibi consulere cupiens avolare nitebatur. At puer filum manu tenens, retractam<sup>a</sup> ad se usque deiciebat, et hoc ingens illi gaudium<sup>e</sup> erat. Factumque<sup>f</sup> est id frequentius. Quod pater aspiciens, miseræ avi condoluit,<sup>g</sup> ac ut rupto filo libertati redderetur optavit. Et ecce filum rumpitur, avis avolat, puer plorat, pater exultat. Et vocatis nobis, 'Considerastis' inquit 'jocum pueri?' Et confessis considerasse, ait, 'Simili consideratione jocatur diabolus cum multis hominibus, quos suis laqueis irretitos pro sua voluntate in diversa vitia pertrahit. Sunt enim quidam ut verbi gratia dicam avaritiæ seu luxuriæ et similium flammis succensi, et ex mala consuetudine illis addicti. Hi<sup>h</sup> contingit aliquando ut sua facta considerent, defleant, seque amodo a talibus cessaturos sibi promittant. En more avis liberos volare

se autumant. Sed quia pravo usu irretiti ab hoste tenentur, volantes in eadem vitia deiciuntur. Fitque hoc sepius. Nec omnimodis liberantur, nisi magno conatu per respectum gratiæ Dei funis pravæ consuetudinis dirumpatur.'<sup>i</sup>

<sup>a</sup> Hī: This is what Eadmer wrote but many MSS (AEFHGX) have corrected it to His, and some (MO) to Hic.

## II. Third Rule, Anonymous

### INCIPIT TERTIA PATRUM REGULA AD MONACHOS

I. <sup>1</sup> Cum in nomine Domini, una cum fratribus nostris convenissemus, imprimis placuit ut regula et instituta patrum per ordinem legerentur: <sup>2</sup> quibus lectis placuit, <sup>3</sup> si de saeculo quis in monasterio converti voluerit, <sup>4</sup> regula ei introeundi legatur, et omnes actus monasterii illi patefiant. <sup>5</sup> Quod si omnia apte suscepit, sic digne a fratribus in cellula suscipiatur, <sup>6</sup> tum si aliquam in cellulam voluerit inferre substantiam, in mensa ponatur coram omnibus fratribus, velut regula continet. <sup>7</sup> Quod si susceptus fuerit, non solum de substantia quam intulit, sed etiam nec de seipso ab illa iudicabit hora.

II. <sup>1</sup> Abbati vero nulli liceat sibi quidquam proprie vindicare <sup>2</sup> cum omnia Deo propitio in illius maneat potestate. <sup>3</sup> Si quis vero, quod in regula iunioribus prohibetur, sibi aliquid ex successione parentum, seu quolibet donato retinere praesumpserit, et non omnia in commune posuerit, a fratribus arguatur. <sup>4</sup> Si invitio perstiterit, in notitiam episcopi deferatur: <sup>5</sup> qui si ab episcopo correptus nec sic emendaverit, deponatur.

### III. On the Congress of Lisbon

Ad hec omnes responsuri una in concilium veniunt. Quid vero in hoc quisque prout animi lingueque facilitas abundabat dixerit, nichilque aliud nisi aerem verberare conferret, cum parum auctoritatis constet in fabula, non inconvenienter pretereundum puto. Sed cum multi multa supervacua proferrent, usque post prandium differtur consultum quid potius eligendum esset. Sed interim, quo pacto nescio quibusve internuntiis, Flandrenses regis sponzionibus acquiescunt; nam, ut estimo, quos<sup>b</sup> rei familiaris inopia urgebat, hos proculdubio peccuniarum spes capescendarum facilius ad<sup>c</sup> consuetudinem suam reducit. Dum iterum in concilio ventum est, quos paulo ante existimabamus coniurationis socios, nunc regis advocatos in concilio reperimus, hoc solum semper coram nobis excipientes quod a rege pactionem ullam non solum non susciperent, immo nec audirent, sed moris semper ubique terrarum fuisse in hanc<sup>d</sup> partem favere potius qua impetus animi magis duceret. Seque cum rege manere velle si omnibus complaceret sociis neque restare aliquid quin hoc potius fieret aiebant.